



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1713

Q. 39. Quomodo peccet, advertens actionem suam esse peccatum, sed non cogitans, an sit mortale an veniale.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42521

in illicitam delectationem tantum cogitatione sumptam, sive in neutrum expressè tendendo, sensui oblectationem, quam advertit, sine alia deliberatione etiam & resistantia permittat, hoc enim casu potest & debet resistere, & non facit, adeoque virtualiter consentit. Præterea id etiam advertendum est, dæmonem atque sensum tentationes inspicere sub enunciatione significante consensum, volo hoc facere &c. cum tamen longissimè absit voluntas consensûs, qui neutiquam ex incidentibus verbis, sed vero suo proprio actu dijudicandus est.

227. Q. 39. Quomodo peccet, advertens actionem suam esse peccatum, sed non cogitans, an sit mortale an veniale. R. Hoc resolutum est l. 1. à n. 1.

228. Q. 40. Quomodo peccet, advertens actionem suam esse mortale, sed abstrahens, quale & cuius speciei sit. R. S. Thom. 1. 2. q. 19. a. 5. ad 3. dicit nunquam ita abstrahi, sed semper cognosci malum in certa specie: Idem dicunt Vasq. & alii cum Merat. d. 7. s. 7. , sed dato supposito, dicendum est peccare mortaliter, peccato speciei innominatæ, quæ opponitur honestati actûs, quo quis velle non peccare mortaliter, Oviedo in 1. 2. t. 4. controv. 1. p. 3. Vide dicta hic n. 21. inf. 1. & 2.

229. Q. 41. Quomodo peccet, qui deliberat, an velit in mortale consentire. R. Si faciat plenè advertenter, peccat mortaliter, quia voluntas sic hærens, re ipsa appretiat peccatum cum Deo, sicuti enim dubitans in fide, ideo peccat mortaliter, quia hæret, velitne plùs tribuere authoritati Dei revelantis, an iudicio suo vel apparentiæ rationis in oppositum, ita multò magis hic, quando hæret, an præferre velit Deum an peccatum. 2. Saltem per hoc se exponit periculo proximo consenti